

Judic. c. Ex transmissa. 6. c. Verum 7. de foro com-
pet. in causis feudilibus enim etiam Clericus feudatarius ad prestanda feudi onera tenetur.

12 Quoad Loca sacra Fallit 1. si Templi, Ecclesie, Sacella consecrata, aut benedicta destruantur. Tunc enim lapides & ligna sine irreverentia & sacrilegio ad usus profanos applicantur. Fallit

2. Si homicidium, gravis vulneratio, notabilis effusio sanguinis in locis sacris contingit calu foruito, v. g. ab animali, homine furioso, amente &c. In quibus casibus Ecclesia non pollutur. De quo, uti & tota materia circa vasa, & loca sacra plenè tractavimus lib. III. tit. 40. de Consecrat. Eccles.

REGULA VIII.

Qui ex timore facit Præceptum, aliter, quàm debeat, facit,
& ideo jam non facit.

SUMMARIUM.

- 1 Difficultas Regule in quo consistat?
- Timor duplex: alius filialis. ibid.
- 2 Alius servilis: hicque
- 3 Alius bonus, & utilis. ac seq.
- 4 Alius purè servilis, seu mundanus, ac inutilis.
- 5 Sensus genuinus Regule quis?
- 6 Declaratur exemplo.

1 **Q**ueritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis sensus verus illius sit? Ante responsum Notandum, totam difficultatem circa intelligentiam hujus Regule in hoc consistere, de quo timore loquatur. Duplex siquidem, vel potius triplex est timor: filialis nempe, & servilis; hicque vel supernaturalis & bonus, vel merè servilis seu mundanus. Filialis est, quo quis Deum sicut filius patrem timet, & ex hoc timore, ne eum offendat, præcepta & mandata illius observat: qui timor in charitate fundatus optimus est, innumerisque in locis laudatur & commendatur à Sacra Scriptura, uti Psal. 13. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius valet nimis.* & Psal. 30. *Timeat Dominum omnis Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Item: *Voluntatem timentium sefaciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos:* Psal. 144. v. 19. Imo Psal. 110. asseritur: *Initium sapientie Timor Domini:* estque unum inter Dona Spiritus Sancti.

2 Timor servilis est, quò quis mandata servat ex timore pœnæ, ne eam incurrat: qui timor etiam adhuc bonus & supernaturalis est, si quis pœnas sive æternas, sive temporales quatenus à DEO ob transgressionem mandatorum suorum justè infliguntur, merito timet, & ideo ex timore earum, vel potius ex timore Dei mandata illius observat, ne alias ab ipso hic vel ibi justè puniatur. Cùm enim hic timor Deum nullatenus excludat, sed eundem, & justitiam illius respiciat, ac ne per violationem mandatorum eum offendat, sicque propterea ab illo justè puniatur, rectè timeat, & hoc timore impulsus mandata illius observet, merito ex timore Dei pœnas justè infligentis, sicque ex bono adhuc timore, utpote supernaturali adhuc principium habente man data observare censendus est, dummodo timor non finalis, & ita principalis sit, ut, si pœnæ non essent, mandatum non observaret, & Deum offendere non curaret: si enim constitutus Deum & justitiam debite non respiceret, nec voluntatem peccandi excludam, sed inclusam habere.

Cæterùm hunc timorem pariter innumeris in locis sacrae Paginae, præsertim Veteris Testamenti etiam approbant, ac ut ex timore pœnarum à Deo justè infligendarum mandata divina observentur, integris Capitalis hortantur, uti Denteron. cap. 1. 4. 8. 11. &c. Sicut etiam in Novo Testamento ad observantiam mandatorum, & Timorem Dei justè punientis, Christus ipse pœnarum minis hortatur: *Timeat eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Luc. 12. v. 28. Et Concil. Trident. Sess. 6. cap. 6. fatetur, timore Justitiæ divinæ peccatores utiliter concuti, illamque ad justificationem concurrere, quod magis ad propositam confirmat, Sess. 14. c. 4. dicens: *contritionem imperfectionem, que ex gehenna & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam Donum Dei, & Spiritus S. impulsum esse.*

Porro etsi n. præced. declaratus timor servilis tam bonus ac meritorius sicut timor filialis non sit, utpote charitate minus vestitus, tamen ad ejusdem qualitates, & charitatem Dei bonâ intentione ac reflexione reduci facile potest, si quis videlicet ex prælato timore servilis seu ex timore pœnarum, vel potius ex timore Dei, ne justè puniat, mandata observat quidem, ideo tamen etiam, quia infinitè bonus Deus, videns nos miseris sensuales homines subinde magis & citius moveri gravissimarum pœnarum à Deo infligendarum minis, & timore earum, quàm solò altiori charitatis motivò, ipsemet etiam hunc timorem suadet, & ut eò ducti mandata servemus, vult & hortatur, quod bene notandum.

Timor merè servilis & mundanus est, quando quis mandata servat ex timore pœnarum, vel jac-turæ temporalis, v. g. fame, bonorum fortunæ, vitæ, non ut à Deo, sed hominibus provenientium uti bene docet cum D. Thomas 2. 2. q. 19. art. 2. communis DD. His notatis,

Resp. Regula nullatenus de timore in primo & secundo sensu n. 1. & 2. declarato: sed de timore merè servili humano & mundano num. præc. explicato intelligenda venit, ita ut verus illius sensus sit: *Qui ex timore merè servili & mundano, seu ex timore pœnarum, quatenus ab hominibus proveniunt, & timentur, præceptum observat, aliter, quàm debet, ac nihil facit. & nec meretur, nec præceptum servare censendus est.* Ratio est: quia ex timore servans præcepta, reipsa nullum Dei præcipientis respectum habere, nec ipsum curare, sed homines duntaxat respicere, sicque coram Deo qui corda scrutatur & renes, nec mereri, nec quiddam agere, nec præceptum, uti oportet, observare censetur, præsertim quia voluntatem peccandi retinens reipsa

reipsa & implicite ita constitutus est, quod si pœnas, seu temporalem jac-turam ab hominibus non timeret, præceptum non observaret: ut proin merito dicat Glossa hic: *qui invidios facit* (intellige ex respectu & timore præcisè mundano & humano) *verum & meritum perdit.* arg. can. Jam verò 4. cau. 23. q. 6.

7 Regula & sensus ejus plurimè ex S. Scriptura ulterius declarari & probari possent exemplis: verùm quia materia hæc Theologica potius, quàm Juridica est, sufficit id solum, quod Christus de Pharisæis mandata Dei Math. 6. v. 2. servantibus

dixit, eos coram Deo nihil egisse, nec ullam mercedem habere: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam;* Nam sicut qui sine ulla ad Deum reflexione ad captandam laudem, & æstimationem hominum præcepta observant, & bona opera faciunt, nil coram Deo facere, & omni merito indigni esse censentur: sic idem dicendum de illis, qui id ex timore præcisè humano & mundano, seu merè servili agunt; quomòvis in foro externo, quod de intrinsecis non judicat, à pœnis transgressionis præceptorum immunes sint.

REGULA IX.

Defeat Peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.

SUMMARIUM.

- 1 Difficultas Regule.
- 2 Declaratio illius à nonnullis.
- 3 Alia Declaratio.
- 4 Verus sensus Regule.
- 5 Pœnam sensus majorem pati debet, qui magis peccat.

1 **Q**ueritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sit sensus? Ante responsum notandum, hanc Regulam omnino concordare cum sententia S. Jacobi in sua Epistola Catholica c. 2. v. 10. (ex quo Regula nostra desumpta verifimiliter creditur) ubi cùm Judæi manutene-re vellent, non esse necesse totam legem, legisque præcepta servare, dixit eidem loc. cit. *quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus:* idipsum, quod Regula sonat. Verùm, quia durum foret, verba hæc in literali sensu, prout sæcent, intelligere, ita, ut qui unam legem, v. g. *Non furum facies*, si-rando transgrediretur, fieret reus omnium transgressionum, sicque reputaretur etiam adulter, perjurus, blasphemus, idololatra, homicida &c. hinc tam interpretes S. Scripturæ, quàm Glossatores nostræ Regule faciunt varias interpretationes, inter quas præcipue sunt duæ sequentes.

2 Prima est eorum, qui dicunt, ideo eam, qui in uno offendit, seu legem divinam transgreditur, censeri reum omnium, quia sola transgressione unius legis jam videtur contemnere & non curare Divinam potestatem legislativam, seu Autoritatem supremi Legislatoris, sicque promptus, paratus ac dispositus esse, quòd sicut in uno, non attendit, sed quasi spreta autoritate supremi Legislatoris legem transgredi ausus est, sic eam etiam in aliis transgredi non curet, potestate legislativâ divinâ jam semel quasi spreta, & non amplius attendit, juxta tritum illud: *qui unum peccatum mortale non timet, nec aliud timet.* Et huic

interpretationi favere videtur subsequens textus S. Jacobi, qui postquam dixit: *offendens in uno factus est omnium reus*, statim y. 11. subiunxit: *qui enim dixit, non machaberis, dixit & non occides. Quod si non machaberis, occides autem, factus es transgressor Legis.*

Altera interpretatio, quam tenet Glossa hic, & Lyran, in cit. Epist. S. Jacobi cap. 2. S. Thomas 2. 2. q. 72. art. 1. & alii, vult, Regulam intelligendam esse de offendente in uno graviter, seu committente peccatum mortale, utpote propter hoc unicum factus reus omnium quoruncumque tandem peccatorum quoad pœnam damni, id est, æternam privationem visionis beatificæ, perditionis Amicitie Divinæ, Charitatis & Gratia sanctificantis, meritorum, ac Coelestis Gloriae, quæ cuncta propter unum peccatum mortale æquè perdit, pœnamque damni æquè incurrit, ac si omnia peccata totius mundi commisisset. Hoc notatò,

Resp. ad questionem, Regulam intelligendam esse juxta secundam interpretationem num. præc. adductam, ita ut verus illius sensus sit: *Fleat mortaliter peccans, quia propter unum peccatum mortale Amicitiam divinam, Charitatem, Gratiam sanctificantem, merita, & prius facta bona opera cuncta, æternam beatitudinem æquè perdit, pœnamque damni perinde incurrit, ac si omnia peccata reipsa commisisset.* Ratio est: quia quæ in hoc sensu allegantur, non tantùm per unanimum Theologorum, sed etiam per fidem divinam sunt certa, indeque Regula dicens: *offendens in uno, factus est reus omnium*, quoad præcipuum effectum in eo verificatur, quòd propter unicum peccatum mortale eandem infiniti boni, & æternæ beatitudinis coelestis jac-turam incurrat, ac si omnium peccatorum esset reus.

Dicitur tamen notanter: *pœnam damni;* quia pœnas sensus plures & graviores hic & ibi sustinere debet, qui plura & majora committit peccata. De quo magis Theologi.

REGULA X.

Non potest esse iusta Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.

SUMMARIUM.

1. Pastoris animarum gravissima obligatio & tanta est, ut etiam in casu, quo anima ipso ignorante perit, inexcusabilis sit.
- Ignorantia eorum, quae quis ex officio scire debet, pro crassa habetur. *ibid.*
2. Gravissima obligatio Pastorum probatur ex Scriptura & Jure.
3. Item ex SS. Patribus ac Theologis.
4. Verus sensus Regulae quis?
5. Prudens & utilis modus regendi & corrigendi subditos.
6. Ignorantia verè invincibilis excusat Pastorem.
7. Sicus & si sua facit, & tamen ovis perit.

Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Notamine Pastoris in Regula venire Episcopos, aliosque Praelatos & Superiores Ecclesiasticos, nec non Parochos, & omnes curam animarum habentes: nomine Lupi autem daemonem & perverfos praesertim scandalum praebentes homines: nomine Ovis verò animas praefatis Pastoribus tanquam oves concreditas intelligi, extra controversiam est. Quorum Superiorum & Pastorum gravissima obligatio, ut subditis & ovibus debite invigilent, errores corrigant, avertent nitantur, ne luporum nequitia pereant, in tantum innuitur per hanc Regulam, ut Pastor inexcusabilis sit, & rationem reddere teneatur, etiam si ipso ignorante, & nesciente ovis aliqua pereat; cum ignorantia illius, qui ex officio scientiam habere debet, & facile potest, pro crassa & culpabili reputetur, c. *fin. de conslit. in 6.* Et ea, quae quis ex officio indagare tenetur, scire, & scire debere facileque posse, pro eodem habeantur. *can. fin. dist. 27. c. fin. §. Si quis. de clandest. despons. juncta l. Julianus. 19. ff. de S. C. Macedon.* Confirmatur: arg. à pari. *l. qui mercedem. 40. ff. locati.* ubi habetur, eum, cujus custodiae res commissa est, periculum praestare & probare debere, dolò vel culpa sua rem non perierit, quia ex officio suo custodiam adhibere tenetur. *c. Ea quae de officio Archidiaconi.* cum concord. à Glossa hinc v. *Pastores* per plures textus allatis.

2. Quod si juxta dicta vi hujus Regulae inexcusabiles sint pastores, quibus nescientibus & ignorantibus oves pereunt, facile colligere licet, quam gravis & inexcusabilis sit culpa illorum, quibus scientibus & advertentibus ex negligentia, socordia, conniventia, laxitate, timiditate, & respectu humano, vel malo exemplo illorum animae pereunt. Profectò in sacris paginis aeternum vae annuntiat *Ezech. 34. Vae Pastoribus Israel,* qui pascebant semetipsos, gregem autem non pascebant: quod infirmum fuit, non consolidabant, & quod aegrotum non sanabant: quod contractum, non alligabant, & quod abiectum, non reducebant, & quod perierat non querebant; ideo oves factae sunt in devorantem & erraverunt. Et c. *Irrefragabili.*

13. de offic. Jud. Ordin. dicitur, fore ut sanguis subditorum requiratur de manibus Praelatorum Ecclesiasticorum, qui subditis suis debite invigilare, eorumque excessus & errores corrigere neglexerunt. Ubi etiam Pontifex ad facilitandum Superiorum munus omnem appellationem in correctione morum prohibet, *ibi: ut autem correctionis & reformationis officium liberè exercere valeant, decernimus, ut executionem illorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire.*

3. Horrenda sunt, quae de gravissima & periculosissima obligatione Superiorum Ecclesiasticorum & Pastorum animarum scribunt SS. Patres, & Theologi, inter quos Avila, doctrina & virtute suo tempore celeberrimus Theologus dicere non dubitavit: *Tanta est obligatio Pastorum animarum, ut si tertiam tantum partem re ipsa adimplerent, ab omnibus Sancti reputarentur, & tamen si hac contenti sunt, damnationem non evadent.* Et S. Chrysof. *Homil. 34. ad Hebr. apud Barbof. p. 1. de Offic. & posse. Episc. Tit. I. cap. 6. n. 23.* dicere non est veritus: *Miror, si potest salvari aliquis Rectorum.* Et in Acta Apost. apud Strein in hanc Regulam n. 1. de Episcopis tanquam supremis Praelatis & animarum Pastoribus in specie scribere ausus est: *Non multos Episcopos salvari, eò quòd difficultissimum sit, tot animarum sibi commissarum bonam & sufficientem rationem reddere.* Ut proin mirum sit, & meritò cum aliis SS. Patribus S. Chrysofomus miretur, tamen aliquos ambire tam periculosam munus Superiorum, imò, ut ait *loc. cit.* S. Chrysof. aliquos etiam concurrere, & praecipitare semetipsos in tantam molem & difficultatem Regiminis. Caeterum ex dictis facile eruitur verus sensus Regulae; Nam

Resp. II. Verus sensus Regulae est: *Gravissima, & tanta est Pastorum animarum obligatio invigilandi subditis sibi concreditis, errores eorum corrigendi, avertendi, illosque debite regendi, à via recta aberrantes reducendi, ut etiam in casu, quo ipsi infelices & ignorantibus aliqua ex concreditis animabus malè vivendo pereat, coram Deo inexcusabiles sint, ob jura & rationes n. 1. allegatas.*

Porro qualiter, seu quò modò subditi à Superioribus prudenter ac utiliter regi & corrigi possint ac debeant: an etiam, & quando rigor adhibendus sit, partim jam supra in Reg. II. diximus, partim, imò plenè & optimè praescribitur in Concil. Trident. *Sess. 13. de Reform. cap. 1.* illis hac relatu dignis verbis. *Illud primum eòs admonendos censet, ut se Pastores, non percussores esse meminerint, atque ita praesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant, elaborentque, in hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praecipio: ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentiam quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio,*

plus

Regula X. Non potest esse iusta Pastoris excusatio &c. 15

plus charitas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populi salutaris ac necessaria conservetur, & qui curriti fuerint, emendentur; aut si respicere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo, à vitis deterrantur: cum sit diligens & pii simul pastoris officium, morbis ovis levitè primò adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita possidet, ad aciora & graviora remedia descendere, sin autem ne ea quidem proficiant illis submovendis, ceteras saltem oves à contagionis periculo liberare. Cùm igitur rei criminum plerumque ad evitandas penas & Episcoporum subterfugienda iudicia, querelas & gravamina simulent, & appellationis diffugio iudicis processum impediunt, ne remediò, ad innocentiae praesidium instigati, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ad hujusmodi eorum calliditatem & tergiversationem occurratur, ita statuit, & decrevit: *In casibus visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus Vicario Generali, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, non appellatur &c. nec Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi, tamquam frivola, deferre teneatur; sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata, nec non omni stylo & consuetudine, etiam immemorabili, con-*

traria non obstante, ad ulteriora valeat procedere: nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: quibus casibus Sacrorum & antiquorum Canonum statuta illibata persistant. Quamvis enim hic corrigendi modus specialiter praescriptus sit Episcopis, tamen etiam aliis Praelatis, & Superioribus Ecclesiasticis, servatis servandis, communiter meritò adaptatur.

Queritur II. An, & quas fallentias patiatur haec Regula? Resp. Abstrahendo ab aliis, etiam sequentes: Et quidem 1. In casu quo superior invincibiliter ignorat, subditum in occulto malè vivere & perire; quia sicut juxta communem Theologorum verè invincibilis ignorantia facti in omnibus tollit voluntarium, & à culpa excusat, sic etiam in hoc.

Fallit 2. in casu, quò Superior monendo, corrigendo, puniendo, quae potuit & debuit, fecit, & tamen subditum in mala vita perseveravit & perit, quia in tali casu contra subditum incorrigibilem meritò pro sua excusatione utitur verbis *Osee cap. 13. v. 9. Perdidit sua Israel: tamquam in me auxilium, & Jerem. 51. v. 9. curavimus Babylonem, & non est sanata.* Daminodo talem, si communitatis scandalosus est, tanquam ovem scabiolam, ne alios inficiat, competentibus mediis à communitate amoveat, uti ex officio teneatur.

REGULA XI.

Indignum est, & ab Ecclesiae Romanae consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis Homagium compellatur.

SUMMARIUM.

1. Homagium aliud propriè seu strictè tale.
2. Aliud impropiè tale.
3. Regula loquitur de Homagio propriè tali. Verus Regulae sensus quis? *ibid.*
4. Homagium improprium licet praestare & exigere pro spiritualibus.
5. Etiam temporalia, quae aliàs de Jure debentur, exigere & praestare licet pro spiritualibus.
6. Clerici propter Feuda secularia, quae habent, Homagium propriè tale praestare possunt & debent.

Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? & quis proprius illius sensus sit? Ante responsum notandum, Homagium variè, praecipue verò bifariam sumi, propriè videlicet seu strictè, & impropiè. Homagium propriè seu strictè tale est juramentum, quo quis alicui tanquam territorii Domino spondet & jurat subjectionem & obedientiam quoad certas operas & bona temporalia, sicutque Vasallos, & quasi homo illius, cui jurat. Homagium enim quasi hominis ligum dicit; quia ligat, seu obligat hominem illi, cui homagium seu juramentum praestat, *Gloss. in Clement. 2. de Re judic. & ibi Abbas n. 6. Vivianus de Reg. J. in fine & alii communiter.*

2. Homagium impropiè tale est juramentum fidelitatis, obedientiae & reverentiae, quod Clerici post adeptam aliquam spirituales dignitatem vel beneficium praestare tenentur Episcopis, quibus tanquam propriis Praelatis, Superioribus & Dominis suis, Patribusque spiritualibus fidelitatem, obe-

dientiam & reverentiam specialiter debent. *c. Nullus. 5. de Jurejur. & c. gravem. 15. de Excess. Praelat.* ubi Papa graviter punit Archidiaconum, quòd post praeslitum Episcopo Homagium, illum pro Domino suo agnoscere recusavit. Hoc notatò,

Resp. Regula XI. intelligenda est de Homagio propriè & strictè tali, quo alicui juratur & spondetur obedientia & subiectio quoad praestanda temporalia, ita ut proprius illius sensus sit: *Nullus potest pro beneficio, seu pro illius collatione aut nominatione, vel presentatione ad illud, nec pro alia quacumque re spirituali compelli ad praestandum Homagium propriè tale, nec illud ulivò deponere.* Ratio est, quia hoc ipso, quòd pro Homagio propriè tale spondeatur temporalia, nec collator, nec Patronus sive Ecclesiasticus sive secularis pro beneficio, nec quis aliàs pro alia re spirituali tale Homagium exigere, nec quis ultra illud praestare potest sine laesè Simoniae, quae semper committitur, quoties datur, vel promittitur temporale pro spirituali, prout amplius dictum *lib. V. Tit. III. de Simonia:* & textu claro *c. Ex diligenti 17. de Simonia.* Ubi de Homagio proprio specialis dispositio habetur, & in Summario breviter adducitur illis verbis: *Pro habendis spiritualibus Homagium facere, Simoniacum est; cum, ut textu ait, hoc praestare divinis & humanis legibus contraire noceat.*

Aliter res se habet in Homagio impropiè tali n. 2. declarato, quia vi huius nullus obligatur ad munus & obsequium temporale, ad quòd aliàs de jure vel consuetudine non teneatur, sed ad fidelitatem, obedientiam in spiritualibus non tamen personae;

sonæ, quàm dignitatem exhibendam, quod utique Simonia caret, & non tantùm licitum, sed & obligatorium est, arg. cit. c. gravem, 15. de Jur. jur. junctò Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. c. 12. & c. Ego N. Episcopus 4. de Jur. jur. ubi formula hujusmodi Homagii & professionis præscribitur.

5 Nec valet obijcere contra sensum Regulæ, quòd cit. c. Episcopus 4. de Jur. jur. in forma Homagii & professionis Episcopis ibidem præscriptæ, inter alia Episcopus etiam ita juret, & se obliget: *Legatum Apostolicæ Sedis, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo*; quæ temporalia esse nemo dubitat. Resp. enim, Episcopos ad præfata Legatis Apostolicis præstanda alias jam de jure obligatos esse, consequenter non nisi ea, quæ de jure debita, & juri infunt, promittere: quæ autem sic infunt, in Juramento exprimi, & à re-

cipiente spiritualia sine labe Simonie promitti possunt c. Significasti 4. de Elect. & ibi Gloss. v. conditione. Barb. ibid. n. 2.

Queritur II. An, & quas fallentias habeat Regula XI. Resp. Docere quidem aliquos hanc Regulam in Feudis fallere, utpote propter quæ etiam Clerici Homagium propriè tale Domino directo præstare possunt & debent arg. c. Ceterum 5. de Judic. & c. Ex transmissis 6. de foro compet. Verùm quia feudatarii Clerici Homagium non præstant pro re spiritali, sed pro temporalis, pro bonis videlicet temporalibus, Clerico sive regulari, sive seculari, seu eorum Ecclesiæ aut Monasterio in feudum concessis, indeque agunt, ad quæ alias de jure tenentur, contra Regulam nostram minime agunt. consequenter in casu feudi Regulam fallere dicendum non est: de cuiusmodi Feudis amplius diximus lib. III. Tit. XX. §. 2. num. 51.

CAPUT II.

De Regulis Juris in Sexto.

REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè finè institutione Canonica obtineri.

SUMMARIUM.

- 1 Quid? & quotuplex sit Beneficium?
- 2 Institutio beneficij alia propriè talis & strictè accepta:
- 3 Alia latè sumpta.
- 4 Latè sumpta alia collativa, seu verbalis: alia corporalis seu realis, quæ etiam Investitura dicitur: alia authorizabilis.
- 5 Institutio Canonica quid?
- 6 Quis sit verus sensus Regulæ?
- 7 Declaratur exemplis ex Jure desumptis.
- 8 Beneficium obtineri nequit per liberam in alium cessionem, vel mutationem cum illo privatâ auctoritate.
- 9 Solvitur objectio.
- 10 Regula fallit in casu, quo Papa dispensat. Papa potest in toto Jure dispensare. Ibid.
- 11 Fallit secundò secundùm aliquos in casu præscriptionis.
- 12 Probant id ex Jure, & num. seq.
- 13 At ex Regula Cancellariæ Apostolicæ de Trienniali.
- 14 Secundùm alios nequit beneficium præscriptione obtineri. Probant id ex ratione & Jure: & duobus seq.
- 15 Solvunt argumenta contrariarum & seq.
- 16 Respondent ad Regulam Cancellariæ de Trienniali, eam in foro interno non procedere.
- 17 Oportet concordare Jura Juribus. ibid.
- 18 Utraque sententia habet sua fundamenta.
- 19 Formalia Regule Cancellariæ offeruntur.
- 20 Verus est, Regulam in utroque foro procedere;
- 21 Si debita ad sint conditiones.
- 22 Papa per Regulam derogavit Juri communi.

25 De Jure id possimus, quod licitè possimus.

Uterior ratio pro utroque foro.

26 Respondetur ad argumenta contraria.

27 Præter alias conditiones requiritur bona fides.

28 De aliis requisitis remissivè.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis genuinus illius sensus sit? Antè Responsum notum supponimus priùs ex lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit. quid, & quotuplex sit beneficium: siquidem juxta dicta ibidem. 6. Beneficium Ecclesiasticum propriè dictum est Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propriè officium spirituale, auctoritate ecclesiasticâ constitutum; quæ definitio num. 7. & seqq. ibidem plene declaratur. Beneficium sic definitum multiplex est, veluti Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Decanatus, Personatus, Canonicatus, Parochia, Vicaria perpetua, varia alia beneficia simplicia &c. de quibus cit. lib. III. Tit. V. §. 2. & 3.

Notum supponimus ulterius ex Tit. VII. de Institutione §. 1. quid, & quotuplex sit Institutio: Hæc enim juxta dicta ibidem n. 2. latè & propriè seu strictè sumi potest. Propriè sumpta est concessio beneficij per Superiorem Ecclesiasticum facta alicui ad præviam præsentationem Patroni: prout cit. loc. n. 3. & 4. amplius diximus.

Institutio latè sumpta comprehendit sub se omnem modum, quo legitime & canonicè confertur & acquiritur beneficium Ecclesiasticum sive per electionem ritè celebratam & confirmatam: sive per postulationem admittam: sive per præsentationem à Patrono factam cum Institutione subiecta: sive per liberam collationem: sive per permutationem

mutationem interveniente legitima auctoritate. Et de hac Institutione in lato sensu sumpta intelligenda venit Regula nostra uti loc. cit. §. 1. n. 1. jam diximus & probavimus.

4 Ubi etiam nu. 3. & seq. ulterius diximus, probavimus, & explicavimus qualiter Institutio adhuc sit triplex, collativa, nempe, corporalis seu realis, & authorizabilis. Collativa est (quam alii etiam verbalem appellant) per quam unò ex num. præc. dictis modis ritè confertur beneficium. Corporalis, seu realis est ipsa inductio in possessionem beneficij, quia mediante illa post jam factam Institutionem collativam seu verbalem datur vera realis possessio beneficij priùs legitime collati, quæ etiam Investitura seu Installatio vocatur. Authorizabilis est, quæ confertur cura animarum in beneficio curato.

5 Porro Institutio debet esse verè canonica: id est, juxta præscriptum SS. Canonum facta; sicut enim legitimum dicitur, quod legitimum conforme est, sic Canonicum vocatur, quod juxta SS. Canones fit. Requiritur autem SS. Canones ad Institutionem Canonicam tria, videlicet ut fiat sine vitio conferentis, recipientis, & formæ: seu ut in conferente beneficium adsit legitima potestas, sive jus conferendi illud: & in recipiente habitus, seu ne sit inhabilis ad recipiendum beneficium: ac ut debita à Jure, vel consuetudine aut peculiari locorum statuto præscripta servetur forma, prout amplius diximus loc. cit. num. 10. & seqq. Quænam autem ad quavis Institutionem canonicam requiratur forma, quis gaudat potestate eligendi, postulandi, beneficium conferendi &c. & quinam habiles vel inhabiles sint ad illud recipiendum plene diximus lib. I. Tit. V. de Postulata. item Tit. VI. de Electione. Tit. XIV. de atate & qualitate præsentandorum. Item lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit. His præsuppositis,

6 Resp. ad questionem num. 1. postiam: Regula I. intelligenda est de quovis beneficio propriè tali, & Institutione latè quidem sumpta, semper tamen verè canonica, ita ut verus ac genuinus illius sensus sit: Nullum beneficium propriè dictum licitè obtineri potest sine Institutione verè canonica, seu juxta Canones facta, tali nempe, in qua nec ex parte conferentis, nec ex parte recipientis beneficium, nec ex parte forme reperitur vitium seu defectus. Ratio est; quia Institutio canonica quasi ostium reputatur, unde legitimum patet accessus ad beneficia ecclesiastica; per quod ostium si quis non intrat, & cui verus ostiarius, id est potestate beneficium ecclesiasticum conferendi præditus, & Ecclesiæ Prælati, servatâ formâ & Regulis Canonicis, non aperit, ille aliunde ascendit, & tanquam fur ac latro reputatur Joan. 10. uti cum aliis in hæc Regulam benè discurret Vivianus. Aliam, eamque solidam ex Jure assert rationem Strein in hæc R. g. nu. 3. quia alias si beneficium, & fructus ex bonis Ecclesiasticis sine Canonica Institutione & Jure requisitis obtineri possent, plurime in Ecclesiâ perturbaciones, imò ruina sanctæ Religionis oriretur. Can. quoniam invest. 13. can. 16. §. 7.

7 Declaratur sensus Regulæ exemplis ex Jure desumptis: sic enim 1. quia ex parte conferentis defectus est, ab excommunicato vel suspensio beneficium obtineri nequit, cum potestate conferendi illud, licet alias sibi competente, tamdiu careat, quamdiu excommunicatus existit. arg. c. Consequente. ib. de offic. Judic. ord. & c. Novis. 4. de Reiffestuel Jus Can. Tom. VI.

his, quæ sunt à Prælat. 2. quia ex parte recipientis defectus est, beneficium obtinere non possunt illegitimè nati, infames, hæretici, infideles, uxorati, bigami, debita ætate carentes, &c. quia hi omnes de jure inhabiles sunt ad recipiendum beneficium, uti jam diximus lib. 1. Tit. XIV. de atate & qualitate præsentandorum. Ubi n. 2. universalem attulimus rationem ex Epist. S. Clementis ad S. Jacobum Fratrem Domini scripta, & relata can. Tales 4. dist. 23. illis verbis: *Melius est enim paucos habere Ministros, qui possunt dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles.* 3. quia ex parte formæ est defectus, si præscriptus modus à Jure c. quia propter. 42. de Elect. non servatur, invalida est electio, prout fuse diximus lib. 1. Tit. VI. de Elect. §. 5. à n. 108. Sic sexcenta alia in Jure reperiuntur exempla, ex quibus patet, quòd si ob defectum conferentis, recipientis vel formæ, Institutio Canonica fieri nequeat, beneficium obtineri non possit.

8 Ex quibus inferunt Doctores, beneficium etiam licitè obtineri non posse liberâ in alium cessione, vel permutatione cum alio propriè Beneficiatorum auctoritate, c. admonet. 4. de Renun. c. quæsum 5. de Rerum permut. Neque transactione propriè dicta sive onerosa, vel alia pactione, quæ à jure tanquam simoniacæ reprobantur, consequenter canonica institutione caret. c. constitutus. 4. & c. super eo 7. de Transact. & c. fin. de Pactis.

Nec valet contra hæc omnia dicta obijcere, quoniam de Magistris ubi decernitur, ut Magistris, qui clericos & pauperes Scholares gratis docent, competens aliquod beneficium præbeatur, ergo etiam aliò modò, quàm Institutione Canonica beneficium obtineri potest. Resp. enim, beneficium hic largè sumi, non pro Jure perpetuo percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, sed pro ipsis nudis fructibus, qui tendi dari decernuntur, quamdiu Magister docet: vel si Magister est Clericus, & ei beneficium proprium confertur, non decernitur, ut ei sine Institutione Canonica conferatur.

9 Queritur II. An non dentur fallentias contra Regulam hanc I. ita ut possint beneficia sine Institutione Canonica obtineri? Resp. Eam fallere in casu, quo Papa dispensat circa requisita ad Canonicam Institutionem; quia juxta unanimum DD. Papa in quovis Jure Ecclesiastico dispensare valet. c. Proposuit 4. de Concess. Præbend. ubi Pontifex ait: *qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possimus supra jus dispensare*, juncto c. 2. de Præbend. in 6. ibi: *licet Ecclesiarum, Personatum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum nescatur Pontificem pertinere, ita, ut non solum ipsa, cum vacanti, potest de Jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis, & Clem. 1. §. fin. ut lite pendente ibi: *Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex sua potestate plenitudine nescitur pertinere ad Romanum Pontificem.**

10 Secundò. Fallere eam volunt plures in casu præscriptionis, ita ut vi hujus sine canonica institutione obtineri, & retineri valeat beneficium bona fide cum titulo saltem colorato possessum. Ita docent Navarr. Consi. 30. de Præb. Garcias de Benefic. p. 8. cap. 1. n. 15. Gomez de Trienniali possess. quest. 42. Less. Lib. II. de Jus. & Jure. dubi. 10. n. 35. Pirring Lib. II. Tit. XXVI. de Præscript. nu. 115. Sauch. Laym. & alii.